

Johann Müller    Johann Georg Schiebel

## **Disquisitio Physica De Vespertilionibus**

Wittebergae: Borckardus, 1675

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767040805>**

Druck    Freier  Zugang



D. O. M. A.  
Disquisition Physica  
De

# VESPERTILIONI- BUS,

Quam  
*In illustri Electorali Leucoreâ,*  
Sub præsidio

VIRI CLARISSIMI  
DNI. M. JOHANNIS MULLERI,  
Fautoris & Amici æstumatisimi,

probatisimi,  
publicæ luci & Eruditorum Examini  
exponit

Die XVIII. Septembris, A. Æ. C. 1675.

*In Auditorio Minori*

H. M.

AUTOR

JOHANN-GEORGIUS Schiebel /

DRESDENSIS.

WITTEBERGÆ

TYPIS JOHAN. BORCKARDI, ACAD. TYPOGR.



*Nb\_3326.a. Cap 1.<sup>b.</sup>*

D. O. M. A.  
D. O. M. A.

VESTERLIONI

BUS

In hunc locum...

VIRI...

DAMJOHANNISMILLER

Labor &...

pro...

Die XVII...

In...

ALTO

JOHANN GEORGIS...

PRE...

WITTE...

TYPIS JOHANNES...

## JOVA JUVA!

**D**eliberanti mihi, quamnam materiam ex PHYSICA, Scientia illâ propter jucunditatem pariter ac Utilitatem decantatissimâ, in ingenioli mei specimen, elaborandam susceperem, forte fortuna præsens materia sese offerebat, quæ uti nec jucunditate suâ caret, ita nec utilitatem illi prorsus denegandam esse censebam. Sed quid sibi vult hæc obscura materia de Vespertilionibus, tenebris & locis obscuris gaudentibus? Nonne potuissem (si de alium quâdam disquirere mens fuisset?) illustrem aquilam luci publicæ sistere? Nonne potuissem vel sexcenta tam peregrinarum avium, quàm advenarum & indigenarum genera ex hoc mundi amplissimo aviariò depromere? Fortè mihi aliquis (certò tamen respectu) suggerere posset illud, quod *Mabummetani* de Salvatore nostrò calumniantur. Illi enim recutiti Doctores in *Alcorano* juò Christum, contra expressa Scripturæ S. testimonia, nihil præter Vespertiones creasse, eosq; adeò in mundum produxisse affirmant; Id quod tamen etiam ex profanis Scriptoribus refutari potest. *Homerus* enim, *Plato*, *Aristoteles* & alii quamplurimi, diu ante Christum natum, eorum mentionem fecerunt, Ita etiam mihi, uti dixi, quispiam posset objicere, quòd nihil aliud habeam, quod luci publicæ sisterem, quàm obscuros Vespertiones. Sed sciat, mihi, præter materiæ jucunditatem, illud in animò hæsisse, ne crambem (quod dicitur) bis costam apponerem. Interim tamen haud nescius sum, me delicatulis quibusdam in his non assatas columbas afferre, adeoq; palato eorundem non satisfacere. Sed quid tum? mihi satis, si modò nonnullis (utî populi certi dantur, quorum palato maximè arident Ve-

A

sper

spertiliones, & ab iis in delitiis habentur :) placeant. Potiora & svaviora fortassè ætas major ex penu suo præbebit. Interim meis conatibus Jehova Gratosus Sit!

SECTIO I.

*Definitionem nominalem &  
realem exhibens.*

§ 1. Priusquam igitur rem ipsam aggrediar, brevibus Homonymia, tanquam errorum genitrix, removenda est. Non enim mihi sermo jam de nummis illis in Silesiâ & alibi cussis, quos vulgus (satis tamen improprie & injuriose) *StederMütse* nominat, cum tamen non Vespertilionis, sed aquilæ imago in illis conspiciatur. Sicut nec meæ dissertationis materia sunt homines ære alieno obruti, quippe qui, cum, meru creditorum, interdum delitescant, & noctu tantum prodeant, Vespertiliones salutantur. Neq; jam est animus, de Philolopho illo (*Charephonem* intelligo) verba facere, ille enim etiam Vespertilio, vel oboris palliditatem & nigricantem colorem, vel ob assiduitatem (quod semper domi lateret.) uti nonnullis placet, fuit cognominatus. Nec *Alcibiœ*, Minejadum altera, hujus considerationis est; Fabulæ enim illam in Vespertilionem, spreto Baccho ejusq; Sacris, conversam esse nugantur. Quamquam *Ovidius*, ejusmodi rerum felicissimus fabricator, aliter paulo sentiat, & in *Met.* omnes tres sorores in Vespertiliones mutatas asserat. Nec tandem piscis ille *Hemerocata*, vulgò vespertilio marinus, qui interdum in arenis hæret, noctu autem excitatur, & hinc inde errat, hic examinatur; sed solum vespertiliones, mures illi volatiles (ut cum SPERLINGIO loquar:) in quæstionem veniunt.

§ 2. Nomen ipsum ambiguitate liberatum, jam spectanti occurrit Erymologia, deinde & Synonymia. Quoad Etymologiam notandum, vespertilionem clarissimis Autoribus derivari à vespere. Ita *Isidorus*: *Vespertilio pro tempore nomen accepit, eò quòd, lucem fugiens, crepusculò vespertinò circumvolat.* Et *Symposius*:

Nox

*Nex mihi dat nomen primò de tempore noctis.*

*Necq; alia derivatio Ovidij Lib. IV. Met. fab. 9:*

*Nocte volant, seròq; tenent de vespere nomen.*

*Alberius verò Lib. 23. de Anim. c. 5. paulò curiosius vocis rationem ad singulas usq; syllabas indagat, vespertilionem dictum esse, inqvies, quasi vespere utentem aliis. Sed quivis allusionem meram, non accuratam derivationem esse, facilè intelligit. Mihì vespertilio rectius dicitur, quasi vespertinio, à vespertinus. Notandum tamen, quòd non vesperi solum, sed etiam manè evolare videantur, interdum autem planè quiescant. Melius enim de nocte vident, quia Spiritus ipsorum visorius tenuissimus & dilucidissimus per noctem modicè incrascens idoneus ad conspectum redditur, de die extenuatur, expanditur & evanescit; ideo face vel gladio volantibus objecto, decidunt, uti Job. Jonstonus, Medicinæ non infimi subsellii Doctor in Hist. suâ Naturali Lib. I. de Avibus, Tit. VIII. cap. 1. loqviamat.*

*§. 3. Hebraicè ( inqvit Sam. Bochartus in Hierozoic. P. II. cap. 32. pag. 350.) אטלפ attaleph & Chaldaicè אטלפא attallepha tur dicatur, hactenus fuit incertum. Sed rem ignotam conabor aperire. In nominibus polysyllabis sepe videas literarum transpositiones, ut in אגומי algumim, pro אומיג אלמגימ; מלעתו maltheoth pro מלעתו maltheoth. Et in Ægyptio CALASIRI ex קרסול Karfol. Aliquid hic simile contigisse putaverim, & אטלפ attaleph dictum pro אטלפא optalel, i. e. ave tenebrarum. Nam אפ oph est avis; & Hebraum אצל tsel & אצלאל lal, pro umbrâ & tenebris Chaldaicè scribitur אטל tul & אטלל telal. Ita hæc avis nomen habuerit nature sue planè congruum. Hæc ille. Videatur etiam R. David Kimchi, qui etiam Ataleph murem alatum, noctu volantem interpretatur. LXX. Interpretibus Græcò ore sonat νυκτερί; Hesychio & Phavorino Φάλλη, Philo νυκτάλωψ & Φιλέσπερος. Nuper, quidam (: inqvit Conradus Gesnerus Hist. Animal. Lib. III. pag. 733. ) vespertilionem in Græciâ hodiè γλάυκη & κρυβάγια nominari, scripsit; quæ tamen nomina alibi rectius nocturæ attribuit.*

A 2

§. 4

§. 4. *Victorinus in Lib. suo de Orthographiâ Vespertilionē sortis* eis nomine appellat, *Valla Semimurē vocat: Platon in enigmate, avis non avis, & Sereno periphrastice avis, tremulis simulat quæ pellibus alas, dicitur. Germani communiter einē Fleder Mause appellitant, quæ vox (uti Ulyses Aldrovandus, Philos. ac Medicus Bononiensis in sua Ornitholog. Lib. IX. cap. pag. 290. b. nos docet:) denotat murem, qui inter volandum tremulas alas concutiendo sonum excitat, licet obtusum. Hoc enim ipse (Germanis) proprium verbum fladderen significat. Unde metaphorico sensu fladderen sumitur pro garrere, diciturq; de his, qui nimia loquacitate importuni sunt, præsertim apud Saxones & Ubios. Simili vocabulo utuntur Belgæ & alij Germania superioris populi. Nam pladderen dicunt de Anseribus aut anatibus, aquam subinde alis verberantibus, atq; ita sonum edentibus. Hæc ille. Hinc fortasse Erasmus Francisci, notissimus Autor, in suis scriptis passim nominat Flatter Mause. Nonnullis etiam audiunt Spect Mause / eò quod lardo insidientur; de quò inferius.*

§. 5. Variè autem à variis describitur vespertilio. Nonnulli ita definit: est animal volucre, biforme. Nonnemo facetus definitionem hominis Platonicam illis applicabat, vespertilio, inquit, ens, est animal bipes, implume. Optimè autem ita describi iudico, quòd sit *mus alatus, in obscuris locis habitans, ac in tenebris hinc inde volitans*. In quâ descriptione generis locum obtinet mus; nec id immeritò, quia vespertilio est ex genere murium, & mus sese latius habet ad vespertilionem. Differentiam largiuntur alæ, quas pellitas & plicatiles habet, ac pro tempore vel dilatat, vel contrahit; item habitatio in locis obscuris, & volatus in tenebris.

§. 6. Sic propositâ & enucleata qualicunq; Vespertilionis descriptione, affertur nunc panthe commemoratio, quas sex titulis includere & proponere lubet. Primus eorum considerabit vocem, alter locum, tertius in ordine partum, quartus in prole conservandâ studium, quintus vitium, & sexus deniq; antipathiam & Sympathiam. Quod vocem concernit, Latinis stridens, Græcis τριγων, τριγωνων vespertiones dicuntur. Vidi

Hymn.

*Homerus Odysf. ω. & A. Pollux Lib. V. c. 13.* Τριγυός enim propriè  
stridor vespertilionum & murium est, quem Germani, præsertim  
inferiores, exprimunt verbò *Rwischchen*. *Locus* autem, qui à Ve-  
spertilionibus colitur, semper est obscurus, tenebrosus ac deser-  
tus. Gaudent enim latebris, cavernis & specubus illilucis oso-  
tes, aded, ut eorum multitudinem innumerabilem unicò in lo-  
cò ejus modi sæpissimè reperiatis. *Stephanus Vimandus Pigius* (:ci-  
tante laboriosissimo *Aldrovando loc. supr à alleg. :*) in Apenninì  
speluncis atq; cavernis, quæ propè Pateolos insignes sunt, ali-  
quot vespertilionum millia stabulari, ex propria inspectione tra-  
dit, atq; dum lucem diurnum fugiunt, eò se tanquam in tuta ca-  
strar ecipere.

§. 7. Quod *parium* attinet, Vespertilio, secus atq; omnes  
aves, quæ ex ovìs foetus excludunt, formatos pullos parit. Vul-  
turem quidem idipsum etiam facere, nonnulli & inter eos *Volai-  
terranus* turpiter mentiti sunt, sed experientia longè aliud proba-  
vit. *Majolus* certè vespertiliones non procreare ova nobiscum  
statuit, omnes autem esse foeminas, ventoq; prægnantes effici &  
pulos procreare, qui statim à partu sint volatiles, ineptissimè pu-  
tavit. Forsitan vir doctissimus nullos vidit, & in eis membra geni-  
talia diversa & satis conspicua animadvertit. Quidam etiam nul-  
lis secundinis obtectos putavere produci, sed refellit eos *Bella-  
nius Lib. II. de Avib. c. 2.* qui plures vigenis se in Pseudolabyrin-  
tho Cretæ prægnantes secuisse tradit. Probabile igitur est, quòd  
mater secundinas devoret, dum proli nuper natæ ob teneritudi-  
nem metuens, primò vel secundò die ad partum evolare prohibe-  
tur. Cùm autem Natura ei tantum duo ubera dederit, unò partu  
plures geminis non edit, qui pulli nonnunquam ita matris uberi-  
bus tenaciter hærent, ut & à mortuâ avelli difficulter queant. Ex  
eò igitur eorum in *prole conservandâ studium* satis emicat, quòd  
foemina sæpè geminosamplexâ infantes volant, volatu tamen ob-  
torem tortuosò & indirectò. Ubi volandò fessi, hamis alarum,  
quæ in illarum summitate in uncum desinunt, & ut rudimenta  
brachiorum apparent, parietibus arboribus & faxis sese suspen-  
dunt, pullosq; vel uberib; affixos retinent, vel juxta se suspendunt.



§. 8. *Vistum* quod concernit, delectantur culicibus, mu-  
fcis, lardô & alijs pingvibus. Dentes enim XXXIV. in mandibulâ  
inferiore octodecim, in superiore sedecim, *Belloniô* observante,  
habent, quibus escas duriores corrodunt. Capti clavis si affigan-  
tur parietibus, sine cibô multos dies vivunt, testante *Gesnerô loc.*  
*cit. pag. 735. Sympathia & Antipathia*, uti in alijs ita maximè in his  
admiranda venit, quòd occultam inimicitiam cum ciconijs a-  
micitiam verò cum columbis habeant. *Singularis enim ipsis* (in-  
quit *Jonstonus l. c.*) *cum Columbis amicitia, detinentur ista, sic ca-*  
*put vespertilionis in peris summo Columbarij fastigio suspendatur.*  
*Inimicitias verò gerunt cum ciconiâ, quia à solo illius conta* *Et* *hujus*  
*(ciconiæ) ova sterilescunt, ni platani folijs in nidum positis sibi cave-*  
*rit. vid. Ael. Lib. 1. de Anim. c. 37. cum platano, qui præ foribus suspensus*  
*ne involent, prohibet; cum hedera, cujus suffitu & odore perimuntur;*  
*cum formicis, ad quarum nidos si alas suspenderit, nulla ipsarum egree-*  
*ditur; cum locustis, quæ locum, ubi vespertilio suspensus, non*  
*transvolant.* Hactenus laudatus Autor. An autem cum lumine  
sympathiam, an Antipathiam habeant, dubitat *Aldrovandus*  
quem vide *l. c. pag. 294. a.*

## SECTIO II.

### *Questiones exhibens,*

Quæst. I. An vespertiones potiùs muribus, quàm avibus  
annumerandi? Affirm.

Multi clarissimi authores, inter quos *Aldrovandus* & *B. Fran-*  
*zius in Hist. sua Animal. Sacra*, vespertiones avibus annumerarunt,  
nullâ aliâ ratione adducti, quàm quòd volare eosdem viderunt,  
idq; solis avibus ( ut expressè dicit citatus *Franzius* ) proprium  
esse putarunt. Sed musca volat, ergone avis? Potius igitur Na-  
tura svadet, muribus associandos esse; Id quod etiam *Aldrovandus*  
*l. c. pag. 293.* tanquam sui oblitus, his verbis approbat: *Uti igitur*  
*non corpore solùm eum extra, tum intrâ mures refert, ita in hoc*  
*etiam illis similis est, quod iisdem cibis, pingvibus scilicet, omnibus cum*  
*ijs delectetur.* B. autem *Franzio* ex asse, uti solet, satisfecit curio-  
sissimus noster *Kirchmajerus* in eruditissimâ ad Dn. D. *Majorem*  
conscri-

conscripta & nuper edita Epistolâ, ubi ait: *In eò minus cautè Franzius (parte 2. H. A. c. 28. p. 570.) à presentia alarum atq; ex volatu arguit mox avem. Sic enim de Vespertilione judicat: Vincit illorum sententia, qui vespertilionem inter aves referunt. tum quia volare proprium dicitur avium, tum quia binos tantum pedes habet. Hac si collectio valeret, Dracones bipedes volatilesq; pariter annumerari avibus deberent. Quin & pisces aliqui; pisces inquam. Volatiles nimirum pisces dari, omni caret dubitatione. Scaliger Cardano manifestis testis (Exercit. 223. l. 4.) volantium piscium cadavera à te visis scribis. At vivi nobis conspecti sunt. Et paulo post: Hos pisces volatiles, quis quæso avibus, intuitu volatus, accenseret? sed transeant & transigent cum veritate prius, Franzium quibâc sequuntur parte. Neg; enim oviparum; viviparum existit. Non pennis, pinnis potius ac pilis gaudet. Quin etiam mammæ habet, lac, & pullis idem præbet, nec suis caret dentibus. Adde Asininas aures. Minuat deniq; ut mures alij. Hæc ille. Præterea urinam emittunt Vespertiliones, quod de nullâ ave expectandum. Manet igitur Conclusio, vespertiliones inter mures, non aves, esse ponendos, certissima. Eos tamen, qui illos ambigæ fortis esse statuunt, (ut Varro in Agathone: Quid multa? factus sum vespertilio, neg; In muribus planè, neg; in volucris sum. Et Macrobius Saturnal. Lib. VII. cap. 16. Exordio volantia universa de ovibus prodeunt, excepto uno, quod incerta natura est. Ut etiam hinc Non nemo faceret vespertiliones Twitter nominaret, quia naturæ sint ambigæ, inter aves & quadrupes medium quasi locum tenentes:) possum admittere, si ambiguitatem suam de eò intelligunt, quod vespertiliones aliquid cum avibus commune habeant, & quodammodò ad eas accedere videantur. Nam volant quidem vespertiliones, ideò tamen non avibus; (volare enim non avem constituit, verum etiam aliis animalibus propriè & verè competit,) sed muribus, quia etiam interiorum partium eadem prorsus constitutio & forma in iis apparet, quæ in terrestri mure, quod Bellonius se reipsâ comperrisse scribit, annumerandi sunt. vid. Sceleton vespertilionis apprimè hûc faciens, quod exhibet Aldrovandus tab. 8. iconum, Tom. 1. Ornithol.*

Quæ

Qvæst. II. An vespertilioes etiam aliquem usum ha-  
beant? Aff.

Omnia propter usum hominis condita sunt: ita & vesperti-  
lio. Non jam dicam, quod vespertilioes à nonnullis populis  
in delitiis habeantur, & ab ijs cum voluptate comedantur; De  
quò consulendus *Nierem bergius*, Phys. olim Professor in Acade-  
miâ Regia Madritensi in *Hist. Natura*, pag. 242. Is enim, scribit  
*Oviedus*, inquit, vespertilioes in Insulâ D. *Johannis* valdè pingves  
inveniri, quibus aqua ferventi immersis & excoriatis incola vescan-  
tur: nam passeribus non minus albos esse, nec minus, ut asserunt, boni  
saporis, à quorum etiam esu Christiani non abstineant, illi præfer-  
tim, qui gustare volunt, quicquid ab alijs edi vident. Neq; urge-  
bo, quod sicut hirundo divinitus facta est, ut aërem purgee diu-  
nis mulcis; ita vespertilio (sunt verba suprâ citati *Franzii*) jussu  
divinò noctu succedat in locum & officium hirundinis, atq; ve-  
netur & interficiat Culices. Sed breviter afferam ea, quæ de hóc  
animalculo à Physicis circa usum proferuntur, Medicis ad discuti-  
endum reliqua relinqvens. Traduntur autem quamplures ves-  
pertilionis utilitates ab Authoribus, verùm multæ superstitiosæ,  
ne dicam impie. Id quod suò tempore jam agnovit *Plinius*, aliàs  
homo Ethnicus, quando *Lib. XXIX. cap. 4.* scribit: *Magica propè*  
*veritatis videri possunt, quæ tradunt, si ter circumlatus domui ve-*  
*spertilio vivus per fenestram inversò capite infigatur, amuletum esse,*  
*præsertim ovibus, circumlatus toties, & pedibus suspensum in superli-*  
*minari.* Alioquin certò modò præparati vespertilioes scirrho &  
podagræ benè adhiberi dicuntur. Sangvinem trichiasis, quâ oculi  
palpebrarum pilis infestantur, conducere, *Archigenes* & *Serenus*  
credunt, (memorante *Galenò Lib. IV. de compos. Med. S. 1. c. 8.*)  
*Galenus* & *Julius Alexander* negant. Caput dextrò brachio alligatum  
vigilantis somnum impedire fertur. Cor autem & lingua  
è contrariò hydrophobiâ inducere monent: & *Nirembergius l. c.*  
*p. 224. b.* pilos nasci sanguis vespertilionum vetat, ait. Plura vide  
apud *Aldrovandum loc. cit. pag. 295, 296.*

224

Quæst. III. An vespertilioes dentur nostris quantitate  
maiores? Affirm.

Dantur, si non semper apud nos, certè apud Indos. In oriente, inquit supra laudatus Nierembergius l. c. Magna vespertilionum natio, numerò & mole, vix credas, gallinas æquat magnitudine & Sapore fortassè vincit: infesti tamen sunt fructibus. Noctu opus est servare agros. De Indiciis illud adjiciam, si gallum aut gallinam sub diò noctu vespertilioes deprehenderint, in cristam aculeò infixò, eum interimere. Testatur Petrus Martyr, Oceana Decadis I. Lib. 10. In Partia, inquit, sive India pleriq; locis Hispani invenerunt Vespertilioes, turturibus non minores. Suffragatur Staliger, de subtil. ad Cardanum Exercit. 236. n. 3. hunc in modum: Ad Gatigan Insulam maris Sur Vespertilioes, quanta aquila, esicantur ab indigenis gallina sapore. In specubus montis sunt, quorum corpora columbas æquant nostras: Ad flumen Cumba ternos palmos expleat. Schotzi in Phys. Curiosâ. cap. LXXXIII. pag. 1252. verba hæc sunt: Magnitudo varia est. In novò orbe Columbas adæquant; In orientali Indiâ transeuntes alarum verberè prosternunt, atq; etiam nonnullos occidunt. Videmus ergo, vespertilioes Indicos nostris in oris natos longò post se intervallò relinqvere, eos magnitudine incredibili fermè superantes. et certè, si Chronico Mss. Dresdensi fides, in clarissima Patriâ & quidem in Sereniss ELECTORIS nostri in totâ Europâ florentissimò Exoticophylaciò asservatur ejusmodi prægrandis Vespertilio, welche von einem Ende des Flügels bis zum andern / vier Spannen breit ist. Et sic finio hanc de vespertilionibus dissertatiunculam, DEOq; omnium datori & conservatori pro concessis beneficiis & gratiosissima assistentiâ

Immortales Gratias Solvo.



Ad  
*Præ-Eximium atq; Eruditissimum Dominum*  
*Respondentem, Fautorem & Amicum suum plurimum*  
*honorandum atq; amandum.*

Vetus verbum est, usq; ab Hieronymi ætate ad nos traductum, laudem mereri, non quòd diu quis in loco aliquo vixerit, sed quòd ibidem bene vixerit. Id ad Te in præsens accommodare, Doctissime Dn. Schiebel/jure meo possum. Annũ tantũ cũ semestri in illustri hac sapientiæ & doctrinarum sede commoratus es, & tamen interea temporis, quotidianam adhibendo industriam, ea perfecisti, quæ alii sæpe aliquot annorum decursu vix solent. Non sine testibus hæc & suffragatoribus loquor. Appello pulpita publica Auditoriorum nostrorum, (nec enim jam privata puncta colligere libet,) quæ tertium jam voce Tua personant. Testimonium ea Tibi perhibebunt, quàm bene antehac in certaminibus doctis steteris, quantãq; dexteritate immissa in Te partis adversæ tela eluseris. Nunc imprimis, ubi Vespertilioes ex tenebris suis in lucem publicam eruis, laudis Tuæ prædicandæ materiam inventient. Scilicet non in magnis modò & nobilibus corporibus ingenii gloria rectè quæritur: parva etiam & quoad speciem abjecta, si in eorum natura indaganda mentis vis exacuatur, famam & honorem conciliare possunt. Fabricavit enim & hæc dextra divina sapientissimè, dotibusq; insignibus exornavit. Cæterum uti nunquam nuda a præmiis suis virtus est, ita & Tu diligentia hujus Tuæ mercedem olim feres. Et, si quid valent præsentia, jamjam mihi animo videor videre Musas, texentes coronam, quæ capiti Tuo proximo sequenti tempore imponatur. Cui si eventus, quod non dubito, respondeat, ut feliciter res tota eveniat, Deum immortalem precor.



Scribcb.

PRÆSES.

Quæst. III. An vespertilioes dentur nostri  
maiores? Affirm.

Dantur, si non semper apud nos, certè apud  
te, inquit supra laudatus Nierembergus l. c. Mag  
num natio, numero & mole, vix credas, gallinas eg  
ne & Sapore fortassè vincit: infesti tamen sunt fructib  
est servare agros. De Indiciis illud adjiciam, si gallum  
sub diò noctu vespertilioes deprehenderint, in cristan  
eum interimere. Testatur Petrus Martyr, Oceanea  
10. In Paria, inqviens, sive India pleriq; locis Hisp  
Vespertilioes, turturibus non minores. Suffragatur S  
til. ad Cardanum Exercil. 236. n. 3. hunc in modum  
Insulam maris Sur Vespertilioes, quanta aquila, est  
genis gallina sapore. In specubus montis sunt, quorum  
bas aqvant nostras: Ad flumen Cumba cernos palmos  
ri in Phys. Curiosa. cap. LXXXIII. pag. 1252. v  
Magnitudo varia est. In novò orbe Columbas ad  
tali Indià transeuntes alarum verberè prosternunt, a  
nullos occidunt. Videmus ergo, vespertilioes  
in oris natos longò post se intervallò relinqvere,  
ne incredibili fermè superantes. et certè, si Chrou  
densi fides, in clarissima Patrià & quidem in Sere  
RIS nostri in totà Europà florentissimò Exotico  
vatur ejusmodi prægrandis Vespertilio, welche  
de des Flügels bis zum andern / vier Spannen  
sic finio hanc de vespertilionibus differatiuncul  
minium datori & conservatori pro concessis bene  
fissima assistentiã

Immortales Gratias Solv

